

DOMINICA VII POST PENTECOSTEN

Themata sermonis

Evangelium in dominica septima post Pentecosten: *Cum turba multa esset cum Iesu*, quod dividitur in tribus clausulis.

In primis sermo de gratiae infusione, praedicatione et mentis humilitate, ibi: *Cum caneret psaltes*.

[DE PRIMA CLAUSULA]. Item sermo de fame Samariae, ibi: *Congregavit Benadad*.

Item sermo allegoricus et moralis de civitate parva, a rege magno obsessa, et cetera quae sequuntur, et quid significant, ibi: *Civitas parva*.

Item sermo de quinque libris Moysi et eorum interpretatione et significatione.

Item sermo moralis de atrio, ostio, medio et oraculo templi, et de quattuor equis et eorum significatione, ibi: *Suscepimus, Deus*.

DE SECUNDA CLAUSULA. Sermo de Naaman leproso, in Iordane septies loto, et eorum significatione, ibi: *Dixit Eliseus ad Naaman*.

DE TERTIA CLAUSULA. Sermo allegoricus et moralis de Eliseo et filii Sunamitis resuscitatione et temporum significatione, ibi: *Surrexit Eliseus*.

Exordium. De gratiae infusione in cor praedicatoris

1 - In illo tempore: *Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent* etc. ¹

Dicitur in quarto libro Regum: *Cum caneret psaltes, facta est super Eliseum manus Domini, et ait: Haec dicit Dominus: Facite in alveo torrentis huius fossas et fossas. Haec enim dicit Dominus Deus: Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis; et bibetis vos et familiae vestrae et iumenta vestra* ². Cum psaltes, idest Spiritus Sanctus, egregius psaltes Israel, canit in corde praedicatoris, tunc fit super Eliseum, idest ipsum praedicatorem, manus Domini, munus potentiae conferens, ipsum in omnibus, ad quae manum suam miserit, coadiuvans. *Facta est*, inquit Ezechiel, *super me manus Domini* ³. Nisi iste psaltes prius cecinerit, lingua praedicatoris obmutescit. Qui si cecinerit, tunc populo, cui praedicat, dicere poterit: *Facite in alveo* etc. “Torrentis dicitur, quia siccitate torrescit, idest deficit” ⁴. Torrentis est peccator, in quo, cum exsiccat humor gratiae, deficit a bono opere, de quo Zacharias: *Numquid non iste est torris erutus de igne?* ⁵ “Torrus lignum adustum est, quem vulgus titionem appellat” ⁶; est peccator, quem Dominus manu gratiae eruit de igne luxuria. In alveo ergo torrentis, idest in corde vestro, o peccatores, qui estis torridi igne iniquitatis, facite fossas et fossas.

Nota quod triplex est fossa, scilicet culpae cognitio, pro ipsa contritio, patientiae humiliatio. De prima dicit Dominus Ezechieli: *Fili hominis, fode parietem* ⁷, quia Dominus paratus est intrare, si modicum foramen in pariete invenerit, idest si tuam culpam cognoveris. *En ipse*, inquit sponsa in Canticis, *stat post parietem nostrum* ⁸, paratus intrare si foramen invenerit. Et in eodem: *Dilectus meus misit manum suam per foramen, ad cuius tactum contremuit venter meus* ⁹. Per foramen, idest cognitionem propriae culpae, mittitur manus divinae gratiae, ad cuius tactum venter, idest mens nostra carnalis, contremiscit. *Timor*, inquit, *et tremor venerunt super me* ¹⁰, *quia manus Domini tetigit me* ¹¹.

¹ Mc 8,1 (Vg. ... *esset nec...*; in GLO. ... *esset cum Iesu nec...*).

² 4Reg 3,15-17 (Vg. *mut om*).

³ Ez 3,22

⁴ ISID., *Etym.* XIII,21,2, PL 82,490.

⁵ Zach 3,2

⁶ ISID., *Etym.* XVII,6,27, PL 82,608.

⁷ Ez 8,8

⁸ Cant 2,9

⁹ Cant 5,4 (Vg. *mut*)

¹⁰ Ps 54,6

¹¹ Iob 19,21

*Commota est, inquit, et contremuit terra*¹²; et Saulus tremens ac stupens dixit: *Domine, quid me vis facere?*¹³

De fossa contritionis dicit Isaias: *Ingredere in petram, abscondere in fossa humo, a facie formidinis Domini et a gloria maiestatis eius*¹⁴. *Ingredere fide in petram*, 'idest vulnera Iesu Christi'¹⁵, *et abscondere in fossa humo*, idest cordis contritione, quae te abscondet a facie formidinis, ante quam formidabunt filii maris huius saeculi, *et a gloria maiestatis*, idest maioris potestatis, sub qua omnis potestas conteretur.

De fossa patientiae 'praeceptum fuit in Veteri Testamento, ut in altari fieret fossa unius cubiti, in qua reponerentur cineres sacrificii'¹⁶. Ibi dicit GREGORIUS: 'Nisi in altari cordis nostri fuerit patientia, disperdet sacrificium boni operis veniens aura. Ubi enim patientia non amittitur unitas conservatur'¹⁷.

Facite ergo, o peccatores, in alveo cordis vestri, fossorio divini timoris, fossas et fossas, ut culpam vestram cognoscatis, cor conteratis, tribulationem in patientia sustineatis. Haec enim dicit Dominus: *Non videbitis ventum neque pluviam, et alveus iste replebitur aquis*. Quasi diceret: Absque humano solatio cor peccatoris replebitur aquis gratiae septiformis, ex qua bibetis vos et familiae vestrae et iumenta vestra. Ecce quam larga gratia Domini, ex qua bibit anima et familia, idest ipsius animae affectus bibunt et iumenta, idest corporis sensus, qui tunc bibunt, cum animae in bono consentiunt. Vel bibunt homines et iumenta, idest iusti et peccatores, "ingeniosi et simplices"¹⁸. Haec est illa turba multa, quam Dominus septem panibus satiavit. Unde dicitur in hodierno evangelio: *Cum turba multa esset cum Iesu*.

2 - Nota quod in hoc evangelio tria notantur. Primum, Iesu Christi super turbam miseratio, cum praemittitur: *Cum turba multa* etc. Secundum, septem panum et pisciculorum turbae appositio et ipsius refectio, cum additur: *Et responderunt ei discipuli sui* etc. Tertium, septem sportarum de fragmentis adimpletio, cum subiungitur: *Et sustulerunt quod supererat* etc.

Nota etiam quod in hac dominica et sequenti aliquas historias quarti libri Regum cum istius et sequentis evangelii clausulis, Deo dante, concordabimus. In introitu missae istius dominicae cantatur: *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam*. Et legitur epistola beati Pauli ad Romanos: *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestrae*, quam in tribus particulis volumus dividere et cum tribus sancti evangelii clausulis concordare. Prima particula est: *Humanum dico*. Secunda: *Cum enim servi essetis peccati*. Tertia: *Nunc autem liberati a peccato*.

I - De Iesu Christi super turbam miseratione

3 - Dicamus ergo: *Cum turba multa esset cum Iesu, nec haberent quod manducarent, convocatis discipulis ait illis: Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducant; et si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via, quidam autem ex eis de longe venerunt*^{19/a}. Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicitur, quod congregavit Benadad, rex Syriae, universum exercitum suum, et ascendit; et obsidebat Samariam. Factaque est fames magna in Samaria; et tamdiu obsessa est, donec venundaretur caput asini octoginta argenteis, et quarta pars cibi^{19/b} stercoris columbarum quinque argenteis²⁰. Et paulo post: *Dixit autem Eliseus: Audite verbum Domini; haec dicit Dominus: In tempore hoc cras, modius similae uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariae*²¹. Quid Benadad et eius exercitus, quid Samaria et quid fames, quid caput asini et octoginta argentei, quid quarta pars stercoris

¹² Ps 17,8; 76,19 (Vg. ... contremuit terra).

¹³ Act 9,6

¹⁴ Is 2,10 (Vg. add mut).

¹⁵ Cf. GLO. ORD., ibidem.

¹⁶ Cf. Ez 43,13

¹⁷ Cf. GREG., *Reg. Past.*, III,9, PL 77,60.

¹⁸ GLO. ORD., 4Reg 3,17.

^{19/a} Mc 8,1-3 (Vg. om mut).

^{19/b} Cf. H. PINTO REMA, *o.c.*, I, 703: «Il cabo è una misura ebraica della capacità di 2,5 l».

²⁰ 4Reg 6,24-25.

²¹ 4Reg 7,1.

columbarum et quinque argentei, quid Eliseus et similiae modius, quid stater unus et duo modii hordei significant, videamus.

‘Benadad interpretatur filius spontaneus’²², et significat Luciferum, qui, creatricis gratiae filius, sua sponte, nemine cogente, et ideo irrecuperabiliter, cecidit. Unde Isaias: *Quomodo, idest irrecuperabiliter, cecidisti, Lucifer, qui mane oriebaris?*²³ Hic est rex Syriae, “quae interpretatur sublimis vel humecta”²⁴, idest illorum qui sunt in sublimitate superbiae et humore luxuriae. Iste cum exercitu suo obsidet Samariam.

“Exercitus, ab exercitatione belli dictus”²⁵, spiritus malignos significat, qui, diuturna bellandi consuetudine exercitati, animam impugnant. Cum tali exercitu obsidet diabolus Samariam, “quae interpretatur custodia”²⁶, idest sanctam Ecclesiam vel fidelem animam, quae dum legem custodit ab ipsa custoditur.

4 - De qua civitate et ipsius obsidione dicit Salomon in Ecclesiaste: *Civitas parva et pauci in ea viri; venit contra eam rex magnus et vallavit eam, extruxitque munitiones per gyrum et perfecta est obsidio. Inventusque in ea vir pauper et sapiens liberavit urbem per sapientiam suam, et nullus deinceps recordatus est illius pauperis*²⁷. Nota, quid civitas, quid pauci viri, quid rex magnus, quid vallavit, munitio et obsidio, quid vir pauper, urbem liberans, primo allegorice deinde moraliter significant, videamus.

“Civitas est Ecclesia, quae dicitur parva respectu malorum, qui multiplicati sunt super numerum bonorum”²⁸. Unde Salomon: *Perversi difficile corriguntur, et stultorum numerus infinitus*²⁹. *Perversi*, idest in contrarium versi, dorsum et non faciem ad Deum vertentes, *difficile corriguntur*, idest, ad cor non redeuntes iustorum sensu, difficile reguntur; et ideo *stultorum*, ‘qui corde sunt hebetes’³⁰, *numerus infinitus*. *Multiplicasti*, inquit Isaias, *gentem et non magnificasti laetitiam*³¹.

Et pauci in ea viri. In Ecclesia multae sunt feminae, idest molles et effeminati; sed, heu! *pauci in ea viri*, ‘idest virtuosus’³². *Mulieres*, idest molles praelati, inquit Dominus per Isaiam, *dominatae sunt populi mei*³³. Et Salomon in Parabolis: *O viri, ad vos clamito*³⁴. Sapientia ad viros non ad feminas clamat, quia sapor internae dulcedinis illum afficit, quem virtute strenuum, providentia circumspicuum viderit. *Sed pauci in ea viri*; et ideo pauci qui saporem caelestis dulcedinis degustare possint. Omnes enim sunt, quasi feminae, mentis effeminatae in pretiositate vestium, in lautitiis ciborum, in lascivia servientium, in aedificiis domorum, in phaleris equorum: [hoc] aperte ostendit utrum sint feminae vel viri. Ecce quales apostoli, quibus Dominus Ecclesiam suam regendam commisit.

Sequitur: *Venit contra eam rex magnus etc.* “Rex magnus est diabolus”³⁵, de quo Iob: *Ipse est rex super universos filios superbiae*³⁶. Hic tria facit: vallat, extruit munitiones, et sic perficitur obsidio. ‘Vallum fit de palis acutis’³⁷. Munitiones, quae vallo sunt munita, vel muris, opera, haeretici sunt, quasi pali acuti, oculis fidelium infixi. Munitiones sunt omnes falsi christiani. Vallo haeticorum et munitione falsorum christianorum diabolus obsidet Ecclesiam, in qua sunt pauci viri. Sed, *nolite*

²² Cf. HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,868; «Banada (*Benadad*), filius decorus».

²³ Is 14,12 (Vg. *add*).

²⁴ GLO. ORD., 2Reg 8,2.

²⁵ ISID., *Etym.* IX,3,58, PL 82,348.

²⁶ GLO. ORD., 4Reg,24.

²⁷ Eccle 9,14-15 (Vg. *add*).

²⁸ GLO. INT., Eccle 9,14: «*Civitas parva, “ad litteram vel Ecclesia humilis”*».

²⁹ Eccle 1,15 (Vg. ... *infinitus est numerus*).

³⁰ Cf. ISID., *Etym.* X,249, PL 82,393.

³¹ Is 9,3

³² Cf. GLO. INT., Eccle l.c.: «*Pauci viri, “Pauci ad comparisonem malorum”*».

³³ Is 3,12 (Vg. ... *sunt eis*).

³⁴ Prov 8,4

³⁵ GLO. INT., Eccle l.c.: «*Rex magnus, “Diabolus”*».

³⁶ Iob 41,25

³⁷ Cf. ISID., *Etym.* XV,9,2, PL 82,550.

*timere, pusillus grex*³⁸, istam obsidionem, quia *faciet Dominus cum tentatione proventum, ut possitis sustinere*³⁹.

Unde sequitur: *Inventusque est in ea vir pauper*. “Vir pauper est Christus”⁴⁰: vir secundum divinitatem, pauper secundum humanitatem. Et vide quam bene concordant singula singulis. Iste dicitur vir, et illi viri; iste pauper, illi pauci. *Sapiens*, contra astutiam diaboli, liberavit urbem a vallo haereticorum et munitione carnalium, et sic per sapientiam suam destruet omnem munitionem. Sed valde dolendum est quod sequitur.

Et nullus recordatus est hominis illius pauperis. Immo, quod peius est, dicunt ei in Iob: *Recede a nobis, scientiam viarum tuarum nolumus*⁴¹; et, quod his deterius est, ipsum negantes, clamant cum Iudaeis: ‘Nolumus hunc, sed Barabbam. Erat autem Barabbas latro’⁴², ‘qui propter homicidium et seditionem, quam fecerat in civitate, missus fuerat in carcerem’⁴³. Hic est diabolus, qui, propter seditionem, quam fecit in caelo, detrusus fuit in infernum. Istum latronem sibi dari expetunt, et Dei Filium, qui eos liberavit, crucifigunt. Et ideo: *Vae animae eorum, quoniam reddita sunt eis mala!*⁴⁴

5 - MORALITER. Civitas est anima, quae bene dicitur parva, quia fere iam omnes, ipsam deserentes, ad planitiem, idest corporis voluptatem, inhabitandam descenderunt. Unde dicitur in Genesi, quod *Lot*, divisus ab Abraham, *moratus est in oppidis, quae erant circa Iordanem*⁴⁵. “Lot declinans, Iordanis descensus”⁴⁶, “Sodoma pecus silens”⁴⁷ interpretatur. Miser homo, cum ab Abraham, animae suae cura, dividitur, in oppidis, idest sensibus corporis, qui sunt circa Iordanem, idest descensum fluxibilem temporalium, moratur; et habitat in Sodomis, quia, tamquam pecus, carni deditus efficitur, et sic silet a laude Creatoris et confessione sui criminis.

Sequitur: *Et pauci in ea viri*. Viri animae sunt rationis affectus, de quibus dicit Dominus Samaritanae in evangelio Ioannis: *Quinque viros habuisti, et hunc quem habes non est tuus vir*^{48/a}. Affectus rationis dicuntur quinque viri, pro eo quod debent regere quinque corporis sensus, quos cum infelix anima perdit, non virum sed adulterum recipit, qui eam corrumpit^{48/b}.

De qua subditur: *Venit rex magnus contra eam*. Rex magnus est carnalis appetitus vel sensus, de quo dicit Salomon in eodem Ecclesiaste: *Vae terrae, cuius rex puer est, et cuius principes mane comedunt*⁴⁹. Et nota quod appetitus carnalis dicitur magnus et puer: magnus, quia magna et impossibilia aggreditur, puer, quia sine deliberatione et discretionem. Et ideo, *vae terrae*, idest corpori, quod talem habet regem, *cuius principes*, idest quinque corporis sensus, *mane comedunt*, idest in pueritia sua gula et luxuria inebriari incipiunt. *Qui enim*, ut dicit Salomon, *a pueritia delicate nutrit filium suum, postea sentiet eum contumacem*^{50/a}. Iste rex magnus vallat animam acutis palis primorum motuum, extruit per gyrum munitiones pravarum cogitationum et carnalium delectationum, et sic perficitur obsidio. Ecce, ut dicitur in quarto libro Regum^{50/b}, quomodo sancta Ecclesia, vel fidelis anima, a Benadad rege Syriae obsessa tenetur.

³⁸ Lc 12,32.

³⁹ 1Cor 10,3 (Vg. *faciet etiam cum...*).

⁴⁰ GLO. ORD., Eccle 1,c.

⁴¹ Iob 21,14 (Vg. ... *et scientiam...*).

⁴² Cf. Io 18,40

⁴³ Cf. Lc 23,18-19

⁴⁴ Is 3,9

⁴⁵ Gen 13,12

⁴⁶ GLO. ORD., Gen 13,8

⁴⁷ GLO. INT., Gen 14,2: «Sodomorum, “Pecudis silentis”».

^{48/a} Io 4,18 (Vg. *Quinque enim...*).

^{48/b} Cf. HUGO DE S. VICTORE, *De sacramentis*, PL 176,279: «Qui sunt quinque viri quibus anima rationalis primum legitime copulata dicitur, nisi quinque sensus corporis, secundum quos prima aetas vitae humanae sine rationis discretionem gubernatur; secundum quorum videlicet sensuum affectus incedere si illi aetati non natura, sed vitium esset; nequaquam ipsi sensus viri, sed adulteri potius appellati fuissent».

⁴⁹ Eccle, 10,16 (Vg. *mut*).

^{50/a} Prov 29,21 (Vg. *om mut*).

^{50/b} Cf. 2R 6,24-25.

Sed veniat verus Eliseus et liberet Ecclesiam. Veniat vir pauper, idest Sancti Spiritus gratia, quae dicitur pauper, quia cum pauperibus spiritualiter habitat *et cum simplicibus sermocinatio eius*⁵¹, et liberet a tam gravi obsidione animam. Sed valde dolendum, quod subiungitur: *Et nullus deinceps recordatus est illius pauperis*. Unde dicitur in Genesi, quod, prosperis succedentibus, oblitus est pincerna regis interpretis sui⁵². ‘Continuus successus temporalium aeternae damnationis manifestum est indicium’⁵³.

6 - Revertamur ergo ad materiam, et dicamus: *Benadad, rex Syriae, obsidebat Samariam, factaque est fames magna in Samaria; et tandiu obsessa est donec venundaretur caput asini octoginta argenteis*. Ecclesia, vel anima, dum a diabolo obsidetur, paulatim refectio gratiae subtrahitur; qua subtracta, fames magna, idest ardens desiderium temporalium, fit in Ecclesia. De qua fame dicitur in Genesi, ‘quod in universo orbe fames praevaluit et tunc filii Iacob descenderunt in Aegyptum, ut emerent sibi frumentum’⁵⁴. Quia, peccatis nostris exigentibus, refectio gratiae subtracta, ideo omnes famescunt temporalia, non animae sed corporis refectioem, ‘non quae Iesu Christi sed quae sua sunt in Aegypto quaerentes’^{55/a}.

In tantum iam fames praevaluit, quod caput asini venundatur octoginta argenteis. Octoginta argentei significant duplicem stolam, quae octo beatitudinibus constat^{55/b}, quam in octava resurrectionis sumus recepturi. Corpus claritatem, agilitatem, subtilitatem, immortalitatem^{55/c}; anima sapientiam, laetitiam, concordiam, inter carnem scilicet et spiritum, amicitiam, ad Deum scilicet et proximum, habebit. Istos argenteos dant infelices peccatores, ut emant caput asini, idest stoliditatem asininam, idest huius mundi sapientiam, ‘quae stultitia est apud Deum’⁵⁶.

Et quarta pars cadi stercoris columbarum, pro quinque argenteis. ‘Cadius graece, mensura latine’⁵⁷. ‘Columbae sunt sancti, qui ad fenestras suas volant’⁵⁸. Stercora, temporalia. Quinque argentei sunt quinque virtutes, quae per quinque libros Moysi designantur. ‘Primus liber Moysi dicitur hebraice *Beresith*, graece *genesis*, latine *generatio*. Secundus, *Veelle Semoth* hebraice, *exodus* graece, latine *itinerarius*. Tertius, hebraice *Vaicra*, *leviticus* graece, *ministerialis* latine. Quartus, *Vaiedabber* hebraice, *rythmus* graece, *numerus* latine. Quintus, *Elle Addebarim* hebraice, *deuteronomium* graece, *secunda lex* latine, in qua evangelicae legis fuit praefiguratio’⁵⁹. In Genesi, in qua omnium generatio describitur, innocentia baptismalis, qua secundum novum hominem regeneramur, intelligitur. In Exodo, quo filiorum Israel exitus de Aegypto describitur, pietas religionis, qua de mundo egredimur, designatur. In Levitico, quo sacrificia offeruntur, mentis devotio et carnis afflictio. In Numero, quo populus numeratur, criminum confessio, in qua omnia peccata debent numerari. In Deuteronomio, Dei et proximi dilectio, quae est lex evangelica, ‘in qua pendet Lex et Prophetarum’^{60/a}.

Istos quinque argenteos dant miseri peccatores, et emunt stercora columbarum, idest temporalia, quae columbae, idest sancti, reputant tamquam stercora^{60/b}. Ecce quam gravis fames est in Ecclesia, quae est illa turba, de qua dicitur in hodierno evangelio: *Cum turba multa esset cum Iesu nec*

⁵¹ Prov 3,32

⁵² Cf. Gen 40,23

⁵³ Cf. GREG., *Moralium* XXVI,18,35, PL 76,368.

⁵⁴ Cf. Gen 41,54; 42,3

^{55/a} Cf. Phil 2,21

^{55/b} In questo passaggio, Antonio parla di otto beatitudini, come insegnano i catechismi. In un altro passo, però parla di sette, come del resto San Tommaso nella *Summa Theologica*. Cf. LUIGI SARTORI, *L'Ecclesiologia di s. Antonio*, in «Atti 1981», p. 431, n. 6.

^{55/c} Cf. INNOCENTIUS III, *Mysteria evangelicae legis et sacramenti eucharitiae*, PL 217, 864: «Quattuor enim sunt glorificati corporis qualitates, videlicet claritas, subtilitas, agilitas et impassibilitas».

⁵⁶ Cf. 1Cor 3,19

⁵⁷ Cf. ISID., *Etym.* XVI,26,9, PL 82,594: «*Metron* graece, latine *mensura* dicitur». De *cado* idem (*Etym.* VI,26,13, PL 82,395): *Cadius* graece amphora est, continens urnas tres». VULGATA in 4Reg 6,25 habet *cabi*, non *cadi*. Aliquin Antonius ipse supra, in prima citatione huius loci (nota 20), rettulit *cabi*.

⁵⁸ Cf. Is 60,8; GLO. ORD., ibidem.

⁵⁹ Cf. ISID., *Etym.* VI,1,4; VI,2,3-7, PL 82,229-230.

^{60/a} Cf. Mt 22,40

^{60/b} Cf. PETRUS REMENSIS († 1247): *Columbae ad fenestras*, «Apostoli in praedicatione et contemplatione», in AGOSTINHO FIGUEIREDO FRIAS, *Lettura ermeneutica dei "Sermones" di S. Antonio, Padova, Centro Studi Antoniani 1995*, p.102.

haberent quod manducarent. Haec ‘turba turbata, omnia turbans’⁶¹, est cum Iesu nomine, non numine, verbo non merito, fide non opere. Sed, quid dicit misericors Iesus, qui miseris semper novit misereri? *Misereor*, inquit, *super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent quod manducent* etc.

7 - Hoc est quod dicit Eliseus in quarto libro Regum: *In tempore hoc cras modius similiae uno statere erit, et duo modii hordei statere uno in porta Samariae.* “Modius a modo dictus, est autem mensura librarum quadragintaquattuor, idest sextariorum duodecim”⁶². Similia subtilissima et candidissima est farina farris. “Stater dictus, quod tribus solidis stat, appendens aureos tres”⁶³. “Hordeum dictum, quod prae ceteris generibus frumenti ante fiat aridum”⁶⁴. Modius similiae, perfecta mensura divinae sapientiae, quae est in Novo Testamento. Duo modii hordei sunt scientia legis et prophetarum, qui comparantur statere uno, idest catholica fide, in porta Samariae, idest apostolica praedicatione, per quam intratur in Ecclesiam. Cessante enim turbine persecutionis, quae fit hodie, dabit Dominus cras, idest tempore futuro, tranquillitatem, ut perfecte praedictio impleatur.

Aliter. In modio similiae, peccatorum remissio; in duobus modiis hordei, contemptus temporalium, aeternorum appetitus; in statere uno vera poenitentia designatur. Stater, appendens tres aureos, est poenitentia, quae in tribus consistit: contritione, confessione, satisfactione. ‘Hic stater est inventus in ore piscis, de flumine extracti hamo Petri, quo Christus et ipse liberatus fuit a tributo’⁶⁵. Piscis est peccator, qui hamo praedicationis extrahitur de flumine mundanae voluptatis, in cuius ore invenitur stater poenitentiae quae animam et corpus liberat a tributo culpae et poena gehennae. Igitur peccator, qui, datis octogintaquinque argenteis, solebat emere caput asini et stercus columbarum, uno statere verae poenitentiae potest emere modium similiae, idest gratiam remissionis, qua omnia Deus peccata dimittit, et duos modios hordei, scilicet ut contemnat stercora, idest temporalia, et appetat aeterna. Ecce quanta misericordia nostri Redemptoris, qui dicit: *Misereor super turbam, quia ecce iam triduo sustinent me.* Triduum et stater, appendens tres aureos, idem significant.

Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dixit Eliseus ad Ioas: *Percute iaculo terram; et percussit tribus vicibus*⁶⁶. “Ioas interpretatur sperans”⁶⁷, et significat poenitentem, qui sperat de Domini misericordia, cuius praecepto terram sui corporis, iaculo poenitentiae, percutit tribus vicibus. Qui isto triduo sustinent, idest expectant Dominum, eos non dimittit ieiunos in domum suam, immo modio similiae et duobus modiis hordei reficit, ne deficiant in via. *Quidam ex eis*, inquit, *de longe venerunt.* Filius prodigus de longe venit, quia ‘de regione dissimilitudinis’⁶⁸. Peccator quanto de longius ad Patrem revertitur, tanto ab ipso misericorditer suscipitur. *Cum adhuc*, inquit Lucas, *longe esset vidit illum pater ipsius, et misericordia motus est; et occurrens cecidit super collum eius, et osculatus est eum. Dixitque ei filius: Pater, peccavi in caelum et coram te; iam non sum dignus vocari filius tuus*⁶⁹. Bene ergo dixit Dominus: *Misereor super turbam.* De cuius misericordia optime habes concordantiam in introitu hodiernae missae.

8 - *Suscepimus, Deus, misericordiam tuam in medio templi tui*⁷⁰. Nota quod in templo sunt quattuor, scilicet atrium, ostium, medium et oraculum. Quidam sunt in atrio: isti sunt falsi fratres. Quidam in ostio: isti sunt noviter conversi. Quidam in medio: isti sunt proficientes. In oraculo sunt perficientes. Isti significati sunt per quattuor equos, quos vidit Ioannes in Apocalypsi: ‘Vidit enim equum pallidum et nigrum, et qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua; et equum rufum, et qui sedebat super eum datum est ei, ut sumeret pacem de terra, et datus est illi gladius magnus. Et vidit equum album, et qui sedebat super illum habebat arcum’⁷¹.

⁶¹ Cf. AUG., *In Ioannis ev.* tract. 30,7,2, PL 35,1633.

⁶² ISID., *Etym.* XVI,26,10, PL 82,595.

⁶³ ISID., *Etym.* XVI,25,16, PL 82,592.

⁶⁴ ISID., *Etym.* XVII,3,10, PL 82,600.

⁶⁵ Cf. Mt 17,26

⁶⁶ 4Reg 13,18 (Vg. ... *et cum percussisset*...).

⁶⁷ HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,854.

⁶⁸ Cf. BERN., *De diversis*, sermo 42,2-3, PL 183,661-662. Cf. M. COSTA FREITAS, *O tema da “regio dissimilitudinis nos Sermões de St. António*, in «Colóquio Antóniano, Lisboa, 1982», pp. 131-140.

⁶⁹ Lc 15,20-21 (Vg. *add mut*).

⁷⁰ Ps 47,10

⁷¹ Cf. Apoc 6,2-8

Equus pallens significat falsos fratres, simulatores et callidos, qui super se provocant iram Dei. Hi sunt in atrio, de quo in Apocalypsi: 'Atrium eice foras, et noli metiri illud' ⁷². A civitate enim Ierusalem falsi hypocritae eicientur foras, cum claudetur ianua, qui modo non sunt mensurati mensura veritatis. 'Atrium ab antro dicitur' ⁷³, quia atrium proprie culina dicitur, idest coquina vel latrina. Hypocritae enim, quia modo decoquunt, idest affligunt, carnes in coquina simulatae sanctitatis, ideo proicientur in latrinam aeterni foetoris.

Item, equus niger significat noviter conversos, qui, falso mundi candore deposito, nigredinem poenitentiae assumunt. Qui dicunt in Threnis Ieremiae: *Pellis nostra, quasi clibanus exusta est* ⁷⁴. Ex igne enim contritionis et labore satisfactionis exuritur, idest extra uritur, pellis mortificati corporis.

Isti debent habere stateram in manu. Unde habes concordantiam in prima particula hodiernae epistolae, in qua loquitur Apostolus noviter conversis: *Humanum, inquit, dico, propter infirmitatem carnis vestrae: sicut enim exhibuistis membra vestra servire immunditiae et iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire iustitiae in sanctificationem* ⁷⁵. *Humanum dico*, "idest leve quid dico, et maiora deberem dicere, sed propter infirmitatem carnis vestrae, idest quae est ex carne vestra" ⁷⁶, non dico. *Sicut enim exhibuistis* etc. Ibi dicit GLOSSA AUGUSTINI: "Si non plus servitur iustitiae, saltem serviatur quantum tunc serviebatur iniquitati. Ideo dicit *humanum*: plus enim debet amari nunc iustitia, quam tunc fuit amata iniquitas" ⁷⁷. Habeant ergo noviter conversi stateram in manu, ut sicut exhibuerunt membra sua servire immunditiae, luxuriae et iniquitati, ducenti ad aliam iniquitatem, idest mali consummationem, ita nunc exhibeant membra sua servire iustitiae, ducenti in sanctificationem, idest consummationem boni.

Hi sunt in ostio templi, de quo dicit Ioannes in Apocalypsi: *Vidi, et ecce ostium apertum in caelo* ⁷⁸. Ostium apertum est Dei misericordia, parata suscipere poenitentes. De hoc ostio sive porta, dicit Ezechiel: *Ecce vir, cuius erat species quasi species aeris, et funiculus lineus in manu eius et calamus mensurae in manu eius; stabat autem in porta* ⁷⁹. Vir iste poenitentem significat, cuius species est quasi species aeris. In aere, quod sonorum et durabile est, sonus confessionis et perseverantiae finis designatur; quae duo quilibet poenitens debet habere. In funiculo lineo, satisfactionis afflitio; "in calamo mensurae doctrina designatur. Calamus mensurae est in manu, cum mensuratur operatio" ⁸⁰. Haec omnia si vir habuerit, recte poterit stare in porta, idest confidere de Dei misericordia.

Item, equus rufus significat proficientes, qui 'spiritu sunt ferventes, in tribulationibus gaudentes' ⁸¹. Isti sumunt pacem de terra, 'idest carne sua' ⁸², 'quam qui Christi sunt crucifigunt cum vitiis et concupiscentiis' ⁸³. Istis datur magnus gladius, per quem intelligitur discretio, quam debent habere in operibus poenitentiae. Hi sunt in medio templi, idest latitudine caritatis, in qua suscipitur misericordia Domini: *Suscepimus, inquit, misericordiam tuam in medio templi tui*.

Item, equus albus significat perfectos, qui iam sunt in oraculo, cherubim gloriae prospicientes, manna divinitatis, quae est in urna aurea humanitatis, degustantes. Isti habent in manu arcum, scilicet victoriae, de mundo, diabolo et carne triumphantes.

Rogemus ergo, fratres carissimi, Dominum Iesum Christum, ut oculo misericordiae nos respiciat, a fame eruat et in templum gloriae suae nos perducatur. Ipso praestante, qui vivit et regnat per aeterna saecula. Amen.

⁷² Cf. Apoc 11,2

⁷³ Cf. ISID., *Etym.* XV,3,4, PL 82,541: «Alii atrium quasi ab igne et lychno *atrum* dixerunt, *atrum* enim fit ex fumo».

⁷⁴ Lam 5,10

⁷⁵ Rom 6,19

⁷⁶ GLO. INT., ibidem: «*Infirmitatem, "Infirmitatem carnis vestrae"*».

⁷⁷ GLO ORD., ibidem. Cf. P. LOMB. *Collectanea in epistolas Pauli* 1, PL 191,141: «*Humanum enim est quod ait: Sicut exhibuistis vos immunditiae, ita exhibete vos nunc iustitiae, quia plus etiam debet amari iustitia quam tunc fuerit iniquitas, ut scilicet pro iustitia toleret homo dolores, et contemnat omnia, etiam mortem*».

⁷⁸ Apoc 4,1

⁷⁹ Ez 40,3

⁸⁰ GLO. ORD., ibidem.

⁸¹ Cf. Rom 11-12

⁸² GLO. ORD., Mt 6,10

⁸³ Cf. Gal 5,24

II - De appositione panum et piscium turbae et ipsius refectioe

9 - Sequitur secundum. *Et responderunt ei discipuli sui: Unde istos quis hic saturare panibus poterit in solitudine? Et interrogavit eos: Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et praecepit turbae discumbere super terram; et accipiens septem panes, gratias agens fregit, et dabat discipulis suis ut apponerent, et apposuerunt turbae. Et habebant pisciculos paucos; et ipsos benedixit, et iussit apponi. Et manducaverunt, et saturati sunt*⁸⁴. Super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dixit Eliseus ad Naaman leprosum: *Vade, et lavare septies in Iordane; et recipiet sanitatem caro tua, atque mundaberis. Descendit Naaman et lavit se in Iordane septies, iuxta sermonem viri Dei; et restituta est caro eius sicut caro pueri parvuli, et mundatus est*⁸⁵.

Septem panes et septem in Iordane lavationes idem significant. “Naaman interpretatur decorus”⁸⁶, et significat hominem, qui gratiae pulchritudine fuit decorus, sed postea peccati foeditate factus est leprosus. “Leprosus, a pruritu nimio scabiei”⁸⁷. Ille est leprosus cuius malae cogitationis venenum, rupta divini timoris cute, erumpit in lepram malae operationis, quam quanto consuetudinis malae manu fricat, tanto magis pruritus ignescit et dolor inardescit. Huic leproso dicit Eliseus, ‘idest Iesus Christus’⁸⁸: *Vade et lavare septies in Iordane*. ‘Iordanis interpretatur rivus iudicii’⁸⁹ et significat confessionem, in qua quasi in rivo seipsum homo lavat, dum se iudicandum condemnat.

In hoc Iordane, ut sanitatem mereatur suscipere, debet se lavare illis septem vicibus, de quibus dicit Apostolus in epistola secunda ad Corinthios: *Ecce hoc ipsum, secundum Deum contristari vos, quantum in vobis operatur sollicitudinem; sed defensionem, sed indignationem, sed timorem, sed desiderium, sed aemulationem, sed vindictam*⁹⁰. Tristitia dicta, per tres partes divisa, poenitentiam significat, quae in cordis contritione, oris confessione, operis satisfactione consistit. “Haec tristitia est secundum Deum, et ideo operatur salutem, idest ea quae ducunt ad salutem, idest sollicitudinem”⁹¹ “emendandi quod deliquimus”⁹². *Martha, Martha*, inquit Dominus, *sollicita es et turbaris erga plurima*⁹³.

Sed defensionem. Defendere est protegere. Cum in confessione denudamur, tunc protegimur. ‘Si tu, inquit AUGUSTINUS, discooperis, Deus cooperit’⁹⁴. ‘Cum nos accusamus, tunc nos defendimus’⁹⁵.

Sed indignationem, “contra nos pro malis quae gessimus”⁹⁶. Unde Ezechiel: *Abii amarus in indignatione spiritus mei*⁹⁷.

Sed timorem, “ne in futuro tale quid contingat”⁹⁸. Timere dictum est, nulla quae facienda sunt praeterire. Unde “timidus dictus, quod diu timeat”⁹⁹. “Timor est accidens dolor mentis, extrinsecus aliqua accidente occasione”¹⁰⁰. Timor castus est, quo timet anima, ne amittat ipsam gratiam, per quam

⁸⁴ Mc 8,4-8 (Vg. mut).

⁸⁵ 4Reg 5,10,14 (Vg. om).

⁸⁶ GLO. ORD., 4Reg 2,23.

⁸⁷ ISID., *Ethym.* X,162, PL 82,384.

⁸⁸ Cf. GLO. ORD., 4Reg 2,23.

⁸⁹ Cf. HIER., *De nom. hebr.*, PL 23,839.

⁹⁰ 2Cor 7,11 (Vg. *Ecce enim...*)

⁹¹ GLO. ORD., 2Cor 7,10.

⁹² GLO. INT., ibidem: *Saeculi tristitia mortem operatur, «quae enim secundum Dei tristitia est poenitentiam: vere non damnum patimur, nam commodum potius, quia dum tristis est peccator, quia peccavit, quia fecit quod Deus odit satisfactionem, quae valet etiam, sed non ad correctionem, et ideo ab ea cavete». Tristitia secundum Deum, operatur salutem, «aeternam», «sollicitudinem emendandi, quia deliquistis, nec hoc solum».*

⁹³ Lc 10,41

⁹⁴ Cf. AUG., *Enarr. In psalmos, Ps 31,II,15*, PL 36,267.

⁹⁵ Cf. GLO. ORD., 2Cor 1.c.

⁹⁶ GLO. INT., 2Cor 7,11: «Defensionem, “ut contra pseudo me defendas”; indignationem, “contra vos pro malis, quae gessistis”».

⁹⁷ Ez 3,14

⁹⁸ GLO. INT., 2Cor 1.c.: «Timorem, “ne in futuro tale quid contingat”»

⁹⁹ ISID., *Etym.* X,272, PL 82,396.

¹⁰⁰ ISID., *Diff.* I,214, PL 83,32. Editio Migne: «Timor vero est accedens dolor mentis extrinsecus, ex aliqua accidenti occasione».

in illa factum est, ut eam peccare non delectet; quo timet, ne eam deserat, etiam si nullis cruciatibus puniat.

Sed desiderium, “in melius provehi”^{101/a}. Desiderare, avide appetere. Desiderium est rerum absentium et nondum adeptarum^{101/b}. Unde dicitur in secundo libro Regum, quod *desideravit David aquam*, et ait: *O si quis daret mihi potum aquae de cisterna, quae est in Bethlehem iuxta portam!*¹⁰² Sic poenitens debet desiderare aquam illius fluminis, de quo dicit Ioannes in Apocalypsi: ‘Ostendit mihi angelus flumen aquae vivae, splendidum tamquam cristallum’¹⁰³. Haec aqua est in Bethlehem, “quae interpretatur domus panis”¹⁰⁴, idest refectio vitae aeternae, et est iuxta portam, idest Iesum Christum, ad quam aquam hauriendam nullus potest intrare nisi per ipsum: ‘Nemo potest venire ad Patrem nisi per me’¹⁰⁵.

Sed aemulationem, ‘ut vitam sanctorum imitemur’¹⁰⁶: *Aemulamini*, inquit, *charismata meliora*¹⁰⁷.

Sed vindictam. De qua, ut dicitur in Luca, vidua interpellabat quotidie iudicem: *Vindica me de adversario meo*^{108/a}. Vidua est anima, quae interpellat iudicem, idest rationem, ut vindicet se de adversario suo, idest carnali appetitu, qui semper adversatur animae^{108/b}. Hic est iudex, qui ‘non sine causa gladium discretionis portat’¹⁰⁹, ‘ad laudem bonorum, scilicet affectuum, vindictam vero malefactorum’¹¹⁰, scilicet carnalium; qui, si septem vicibus in flumine Iordanis lavatur, ab omni lepra peccati mundatur et septiformis gratiae panibus reficitur, de quibus dicitur in hodierno evangelio: *Et accipiens septem panes, gratias agens, fregit*.

Sed nota quod, antequam septem panibus reficiantur, super terram discumbere perhibentur. Qui enim praedictis septem panibus refici desiderat, necesse est ut prius super terram, idest carnem suam, ipsam conculcando, discumbat. Unde dicitur in quarto libro Regum, quod ‘Naaman tulit secum partem terrae Israel, ut, super eam consistens, Deum cuius erat terra adoraret’¹¹¹. Sic vir iustus, dum super terram sui corporis consistens virtute discretionis eam conculcat, ‘Deum in spiritu et veritate adorat’¹¹². Nota etiam quod cum septem panibus pisciculos paucos benedixit et iussit apponi discumbentibus. Pisciculi sunt paupertas, humilitas, patientia, obedientia, memoria Passionis Iesu Christi, quae cum septem panibus condiamus, ut dulcius nobis sapiant.

10 - Huic secundae clausulae concordat secunda particula epistolae: *Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis iustitiae; quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis?*¹¹³ In hac particula epistolae loquitur Apostolus conversis peccatoribus, qui antequam super terram discumberent, antequam in Iordane septies lavarent, antequam septem panibus refecti essent, servi

^{101/a} GLO. INT., 2Cor l.c.: «Desiderium, “In melius provehi”».

^{101/b} Cf. AUG. *Enarratio in Ps. 118,8,4*: «Non quod non sit concupiscentia desiderium, sed quia non omnis concupiscentia desiderium est. Concupiscitur enim et quae habentur, et quae non habentur: nam concupiscendo, fruitur homo rebus quas habet; desiderium autem, absentia concupiscit. Desiderium ergo quid est, nisi rerum absentium concupiscentia?» Propabilmente Antonio ha attinto la formulazione di questo pensiero di Agostino da Beda.

¹⁰² 2Reg 23,15 (Vg. *Desideravit ergo David, et ait: ...*; in GLO. *Desideravit igitur David aquam de lacu, et ait: ...*).

¹⁰³ Cf. Apoc 22,1

¹⁰⁴ GLO. ORD., Mt 2,1

¹⁰⁵ Cf. Io 14,6

¹⁰⁶ Cf. GLO. INT., 2Co l.c.: «Aemulationem, “ut me vel alios bonos imitemur”».

¹⁰⁷ 1Cor 12,31

^{108/a} Lc 18,3

^{108/b} Cf. HAYMO HALBERSTATENSIS, *Homiliae*, PL 118,696: «Haec est illa vidua, quae quotidie in Evangelio iudicem interpellat: quoniam Ecclesia instantissime in oratione perseverat, de qua scriptum est: “Nonne lacrymae viduae ad maxillas eius descendunt, et exclamatio eius usque ad deducentem eas? (Si 35)”. Huius quoque viduae filius, unusquisque credentium est, qui tunc moritur in anima, quando peccat in corpore».

¹⁰⁹ Cf. Rom 13,4.

¹¹⁰ Cf. 1Pt 2,14

¹¹¹ Cf. 4Reg 5,17-18

¹¹² Cf. Io 4,23

¹¹³ Rom 6,20-21

erant peccati et liberi iustitiae, “idest carentes dominio iustitiae”¹¹⁴. Qui enim peccato servit, libertati iustitiae se subtrahit. *Quem ergo, inquit, fructum habuistis* etc. ‘Erubescencia, inquit AUGUSTINUS, maxima pars est poenitentiae’¹¹⁵. Erubescunt poenitentes se leproso fuisse; erubescunt illa commisisse, quae non fructum sed mortem protulerunt.

Rogamus ergo te, Domine Iesu, ut a lepra peccati nos emundes, gratiae tuae pane nos saties et in caelestis beatitudinis refectione nos colloques. Te praestante, qui es benedictus in saecula saeculorum. Amen.

III - De sportarum fragmentis adimptione

11 - Sequitur tertium. *Et sustulerunt quod superaverat de fragmentis septem sportas. Erant autem qui manducaverant quasi quattuor milia; et dimisit eos*¹¹⁶. “Septem sportae viros iustos, Sancti Spiritus septiformi gratia repletos, significant. Fiunt enim sportae de iunco et palmarum foliis. Iuncus nascitur super aquas - “dictus eo quod iunctis radicibus haereat”¹¹⁷ -; palma victorem coronat. Sancti quoque, ne ab humore aeternitatis arescant, in ipso fonte vitae se collocant et aeternae retributionis palmam expectant”¹¹⁸. Vel, “septem sportae sunt septem primitivae Ecclesiae”¹¹⁹, quas Dominus septiformis gratiae inspiratione replevit. Quod significatum fuit per puerum, quem Eliseus suscitavit.

Unde super hoc habes concordantiam in quarto libro Regum, ubi dicitur, quod *surrexit Eliseus et secutus est Sunamitem. Giezi autem praecesserat eos, et posuerat baculum super faciem pueri, et non erat vox neque sensus. Ingressusque Eliseus domum clausit ostium super se et super puerum, et adoravit Dominum. Et ascendit et incubuit super puerum; posuitque os suum super os eius, et oculos suos super oculos eius, et manus suas super manus eius, et incurvavit se super eum: et calefacta est caro pueri. At ille reversus deambulavit in domo semel huc atque illuc, et ascendit atque incubuit super eum, et oscitavit super puerum septies, aperuitque oculos*¹²⁰. “Dum Dominus per Moysen legem dedit, quasi per puerum virgam misit, sed puer per virgam, idest terrorem legis, mortuum suscitare non valuit, quia ‘lex neminem ad perfectum duxit’¹²¹. Ipse per se veniens super cadaver sternitur, quia, *cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit, formam servi accipiens*¹²². Huc et illuc deambulabat, quia et Iudaeos et gentes ad aeterna per fidem vocat. Super mortuum septies inspirat, quia, apertione divini muneris, gratiam Spiritus septiformis in peccati morte iacentibus aspirat. Moxque is quem terroris virga suscitare non potuit, per amoris spiritum puer ad vitam rediit”¹²³.

12 - MORALITER. Eliseus est praelatus, qui non virga, idest aspera disciplina, sed potius oratione et incurvatione, idest benignitate, suscitavit mortuum, idest animam sui subditi, a morte peccati. “Plus, inquit beatus AUGUSTINUS, praelatus a vobis amari appetat quam timeri”¹²⁴. Amor enim aspera dulcia, importabilia levia, timor vero ipsa levia importabilia facit.

Posuit, inquit, os suum super os eius. Os suum super os peccatoris praelatus ponit, cum ipsi praedicat, ut peccata sua in confessione dicat. Unde Isaias: *Dominus dedit mihi linguam eruditam, ut sciam sustentare eum qui lapsus est verbo*¹²⁵. Oculos super oculos ponit, cum pro eius caecitate lacrimas fundit, sicut faciebat Samuel, cui dicit Dominus in primo libro Regum: *Usquequo tu luges*

¹¹⁴ GLO. INT., Rom 6,20: «Liberi iustitiae, “Carentibus dominio iustitiae”».

¹¹⁵ Cf. *De vera et falsa poenitentia*, 10,25, PL 40,1122: «Erubescencia enim ipsa partem habet remissionis»; P. LOMB., *Sent.* IV, dist. 17,4, PL 192,882; *Ad Claras Aquas*, II, 349; GLO. ORD., Mt 3,6: «Confessio peccati pudorem habet, et ipsa erubescencia est gravis poena».

¹¹⁶ Mc 8,8-9

¹¹⁷ ISID., *Etym.* XVII,9,96, PL 634.

¹¹⁸ GLO. ORD., Mc 8,8

¹¹⁹ GLO. ORD., Mc 8,5

¹²⁰ 4Reg 4,30-35 (Vg. *om mut add*). Secondo la Vulgata tridentina, colui che “sbadiglia” è il bambino. Cf. BJ: «La chair de l’enfant se réchauffa»; Cei 2008: «Il corpo del bambino riprese calore».

¹²¹ Cf. Hebr 7,19

¹²² Phil 2,6-7 (Vg. *add*).

¹²³ GLO. ORD., 4Reg 4,29.

¹²⁴ AUG., *Regula ad servos Dei*, 11, PL 32,1384.

¹²⁵ Is 50,4

*Saul, cum ego abiecerim eum?*¹²⁶ Manus super manus ponit, cum pro ipsius perverso opere seipsum in bonis operibus exercet; ut, quem nec virga nec oratione resuscitare potest, saltem boni operis exemplo ad vitam revocet.

Sequitur: *Et oscitavit super puerum septies, aperuitque puer oculos*. Oscitare est os aperire. Super faciem pueri praelatus oscitat, cum populum sibi commissum fide sanctae Ecclesiae instruit, quae in septem articulis consistit, et sic populus aperit oculos. Videt enim per fidem, quem visurus est per speciem. Et dum praelatus ita facit, populum sibi commissum, quasi quattuor millia hominum, septem panibus reficit; dum septem fidei articulis et quattuor evangelistarum doctrinis eos instruit.

13 - Huic tertiae clausulae concordat tertia particula epistolae: *Nunc autem liberati a peccato, servi facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificatione, finem vero vitam aeternam. Stipendia enim peccati mors, gratia autem Dei vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro*¹²⁷. Dicit Ieremias: *Novate vobis novale, et nolite serere super spinas*¹²⁸. Hoc est quod dicit hic Apostolus: *Liberati a peccato, servi facti Deo*. Egressus enim vitii ingressum virtutum operatur. Nota quod quattuor hic tangit Apostolus, scilicet a peccato liberationem, Dei servitatem, vitae sanctificationem et vitam aeternam. Hic est ordo vivendi, haec est via quae ducit ad vitam. Qui hac non incedit *caecus est et manu tentans*¹²⁹. Liberatio a peccato operatur Dei servitatem; Dei servitus, vitae sanctificationem; sanctificatio acquirit vitam aeternam. Qui his quattuor fulcitur columnis cum quattuor millibus hominum, quos Dominus de septem panibus satiavit, in vitae aeternae beatitudine, ‘cum apparuerit gloria Domini, satiabitur’¹³⁰. Hanc remunerationem suis servientibus dabit Christus.

Sed, suis militibus quid dat diabolus? *Stipendia*, inquit Apostolus, *peccati mors*. “Stipendium a stipe, idest substantia pendenda, dictum. Antiqui enim soliti erant pecuniam appendere magis quam numerare”¹³¹. Stipendium militibus datur. Servis enim peccati hoc erit stipendium, scilicet mors. Liberatis vero a peccato et Dei servis, ipsius gratia, ex qua merita *erit vita aeterna, in Christo Iesu Domino nostro*, cui est honor et gloria.

Quem, fratres carissimi, suppliciter imploremus, ut qui quattuor millia hominum septem panibus satiare est dignatus, nos quattuor virtutibus corroboret, septiformis gratiae inspiratione vivificet, quatenus ad ipsum, qui est vita et panis angelorum, mereamur pervenire. Ipso praestante, qui est laudabilis et gloriosus, magnificus et excelsus per aeterna saecula. Dicat omnis spiritus: Amen. Alleluia.

¹²⁶ 1Reg 16,1 (Vg. ... *cum ego proiecerim eum*).

¹²⁷ Rom 6,22-23 (Vg. *mut add*).

¹²⁸ Ier 4,3

¹²⁹ 2Pt 1,9

¹³⁰ Cf. Ps 16,15

¹³¹ ISID., *Etym.* XVI,18,8, PL 82,585; Cf. GLO. ORD., Rom 6,23.